

his circum-
dat simul &
prosequit.
Gracius.

significat fulcire, stabilire, roborare, firmare, prandere; unde de cibi confirmatione dici solet. Quidam explanator Græcus apud Agellium effert; *circumda me*. Atque ita explicat: *Circumda gratiâ tuâ cor meum, & tutus ero, & ubi pax erit, nihil aliud curabo, nisi ut semper tuam voluntatem exequar*. Et forte hoc illud est, quod Paulus ad Hebræ. 13. 9. aiebat. *Optimum est gratiâ stabilire cor, non: escis, quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus altare, de quo edere non habent non potestatem, qui tabernaculo deserviunt*. Ubi ex S. Thomæ commentario, elca quæ non profuerunt, sunt cibi agni Paschalis, & ejusmodi alii; quibus Apostolus opponit Eucharistici altaris alimoniam, quam appellat *gratiâ* cor stabiliens, & circumdandam quasi murus igneus, quasi fateliticium quoddam, & præsidium. Fremat igitur quantumvis Dæmon tanquam Leo rugiens, & circumteat quærens quem devoret, certe cum Christus nos suâ gratiâ ambiat, a Diaboli circuitu erimus tuti, atque irruerunt omnes ejus conatus.

1. Petri 5. 8.

Christus penetra-
vit, & evertit Di-
aboli machina-
mentas, &
per Christi-
sum Eccle-
siâ.

1146 Deinde Diaboli penetrat, & evertit machinamenta Christi: id enim est, *profundum abyssi penetravi*. ne Ecclesia inferni monstra timeat, sed omnes ejus vincendi artes irrideat. Etenim vixdum primi fuerunt conditi Parentes Adamus & Eva, cum ecce Lucifer astutus ingenii sui artes & technas in novellam illam Dei Ecclesiam exeruit, callidissimi serpentis larvam indutus, dignum patellâ operculum, digna tali mimo persona, dignissima improbo impostore species, qua nequitas, vafrities, dolos, machinationesque suas tegetet, ac reteget. Sic subdolos & perfonatus hostis mulierem aggreditur, & prostravit: ut a numero 134. latè explicuimus. Verum, quid, quæso, exinceps in Ecclesiæ Catholice gratiam a Deo sapientissimè cautum? Exprimatur planè illis æquissimi, ac sapientissimi Dei Judicis verbis ad simulatum Draconem Genes. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum*. Per Mulierem hanc Christianam designari Ecclesiam effecimus pluribus in Opere nostro de Martyrio; & est multorum existimatio. Observavi etiam supra loco proximè memorato, tam sæcundum esse originale verbum *asib* positum pro *ponam*, ut inimicitias magno consilio, accuratè, consultò, ex arte, & sapientissimè dispositas significet. Verbo autem *conteret* tam Hebraicè, quam Græcè & Chaldaicè exprimi, Mulierem hanc præoccupaturam serpentis caput, & universas flygii serpentis astutias, technas, tendiculas, præstigias, & machinamenta, quæ astuto eo capite designantur, præversuram. Sed unde, rogo, tanta illi sapientia, & virtus adversus luciferi machinationes, & versutissima consilia? Certè id ab uno sponso Jesu habet, qui *profundum abyssi* penetrat, qui versipellis Diaboli vires & discursum admittit, qui illius machinamenta præoccupat, & prævertit, qui eum ingenii venâ destituit. Quo sensu illa accipienda sunt verba, *ipsa conteret caput tuum*. Nam pro *ipsa*, ponitur Hebraicè *ipse*, atque ita legunt LXX. & multi Ecclesiæ Patres. Et quidem utriusque lectionis concordia docetur, Jesum propriâ virtute & sapientiâ, Ecclesiam verò in Jesu, & per Jesum, virtute atque gratiâ Jesu, omnes hebetare Dæmonum industrias, & astutas ingenii artes. Rectè igitur

Genes. 3. 15.

tur S. Nyssenus in Serm. de Christi Natali lo. S. Nyffe. quens de antiquo Dracone per Jesum obruncato; *Qui multiplex, ait, ejus caput, id est, vim illam malorum inventricem multa in se capita continentem, sustulit*.

1147 Sapientissimè monet Paulus ad Ephes. scribens c. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli*. Ubi Chrysostomus: *Non dixit, adversus pugnas, neque adversus bella; neque enim simpliciter nos, neque aperte impugnat hostis, sed insidiat, operculis usus*. Ut verò his Dæmonis machinis, technis, dolis, vafrensisque, quibus ille totus complicatur, coacervaturque, prævaleamus, nos Dei armis communitos Apostolus vult. At quænam isthæc Dei arma adversus calidissimum hostem? Unus utique Christus, Christique sapientia, & virtus; ait S. Hieronymus: *Quæ autem alia Dei arma possumus existimare, quibus induendus est qui habet adversus Diaboli dimicare versutias, exceptâ virtute, quæ Christus est*. Porò quantumvis hos validè adnitamur, omnes Diaboli artes, & machinamenta penetrare non poterimus; plus in illo ignoramus, quàm de illo videmus; nunquam ipse, semper alius; nec magis ipse, quàm cum alius. Solus oculatissimus Jesus totum eum agnoscit, & plus quàm linceis penetrat oculis. O versutissime satan, ad præsentiam Christi de-
S. Chrysol.
perire tibi artes tuas, intellige: ut aliorum argute aiebat S. Chrysol. Ser. 11.

1148 Denique Gentilissimi, & Judaismi adversus Christianum nomen vires frangit, & perdit Christus: in hoc enim sensu *in fluctibus maris* ambulare, & *in omni terra stare* dicitur, ut supra statuimus numero 1142. Atque huic mysterio pulchrè deservit fortis ille Angelus nube amictus, iride coronatus, sole ipso irradiatus. *Qui posuit pedem suum dextrum super mare, & sinistram super terram*. Apoc. 10. 2. Atqui hic Angelus, ex multorum placito, Christus est magni consilii Angelus: nubes autem, iris, & sol Evangelicæ prædicationis rorem, & imbrem, pacem & concordiam, lucem & claritatem toto orbe diffundendam, metaphoricè designant. Ceterum, cum Ecclesiæ dilatori obitaculo essent persecutionum fluctus maris æfluantibus, id est, Gentilissimi; terræque, id est, Judaismi, crassitudo; terrâ hæc universâ in primis conculcatâ, *in fluctibus maris* ambulare describitur Christus Dominus, quin aquis mergatur tumentibus. In cujus rei argumentum dicitur ipse quandoque firmo gressu ambulasse super mare exæstians, Marci 6. 48. Quod verò Christus in fluctibus maris ambulet, indicat sanè graves difficultates, ingentia pericula, & persecutiones adversus Ecclesiam excitatas superasse. Et quidem Pannonii & aliorum mens est, per mare Gentiles, per terram Judæos figurari.

1149 De Dei Verbo formâ humanæ naturæ induto habes Job 9. 8. *Qui graditur super fluctus maris*. In catena Græca super Job sic effertur: *Qui super mare ambulat, tanquam supra pavementum*. Augustinus ita: *Qui ambulat super mare, tanquam super terram. Tigurina; per summitates maris incedit*. Ubi Olympiodorus ita explicat: *Videtur tanquam Vates Incarnationem Verbi significare, quando Christus ad Apostolicam navem accedens, fluctus extimos ambulabat*. Huc enim refertur illud: *In persequenti mari via ejus*. Et sapienter observat noster Pinoda gradiendi verbum, quod hoc loco est *darac*, aliquan-

Ephes. 6. 12.

S. Chrysol.
Non nisi
Christo armati possumus
Diaboli machinas
& vafrensis
mentis penetrare, & vincere.
S. Hiero.

Christus
Gentilissimi
& Judaismi vires
frangit.

Apoc. 10. 2.

Job. 9. 8.

S. August.
Christi virtus, & sapientia in conculcandis
Gentilissimi
bus contra
Ecclesiam,
Olympio.

aliquando esse Ducis aut Imperatoris præliantis, debellantis, & triumphantis hostes; quod non semel Latinus Interpres reddit *calcere*, aut *conculcare*: quod præliantis, & vincens est, ut claret ex Deut. 11. 24. ex Jud. 5. 21. Michææ 1. 3. Certè eo spectasse Jobum putaverim, ut commendat Christi Dei virtutem, & sapientiam in conculcando, & compefcendo persecutionum fluctus, & procellosissima maria, quorum objectu absterre Catholicam Ecclesiam ab incepto, Gentilitas commitebatur. Sed unius Christi virtute pro illa præliantis, debellantis, & triumphantis, & per medios vortices gradientis, adversa omnia de ira cesserunt, sedataque sunt. Sic capienda Magni Gregorii interpretatio ex lib. 9. in Job cap. 5. *Super fluctus maris Dominus graditur, quia cum se procelle persecutionis erigunt, miraculorum ejus obstupescitione franguntur. Qui enim tumores humana vesantia mitigat, quasi crectas in cumulo undas calcit. Si plura pro hoc argumento exoptas, vide Pl. 88. 10. & ibi Hieronymum, & Pl. 92. 4. & ibi Augustinum.*

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Beata Virgine.

SECTIO L.

Maria immensitate quadam Ecclesiam, instar muri, ambit; Dæmonum machinationes eludit; persecutionum procellas compefcit.

1150 Hunc etiam sensum inesse præjactis Ecclesiastici verbis, ex supra dictis constat. Præmittenda verò ante illustrationem, S. Bonaventuræ sententia in speculo cap. 5. ubi sic Deiparæ immensitatem commendat, & explicat: *Quis Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia & gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est? Quasi dicat; Non naturâ, sed gratiâ, sed gloria, sed Dei misericordiâ immensa est: immensa quidem altitudine, latitudine, profunditate. Consonant S. Epiphanius in Orat. de laud. Virginitatis: *Gratiâ S. Virginitatis est immensa*. S. Anselmus in lib. de Excell. Virginitatis: *Immensitatem gratiæ tuæ, & gloriæ considerare cupienti, ô Virgo, sensus deficit*. Et S. Damasc. in Orat. 2. de Dormitione. B. Virginitatis: *Virgo gratiâ abyssus immensa*. Quorsum hæc? Ut appareat, Deiparam per hanc suæ gratiæ, & gloriæ immensitatem esse ubique, adesse omnibus, prodesse singulis, immensum propemodùm Christianæ Ecclesiæ spatium circumquaque ambire, Diaboli machinamenta eludere, persecutionum procellas compefcere. Singula expendamus.*

1151 In primis Ecclesiam ambit instar muri, eam protegens, ac defendens ab hostilibus incurfibus. Quò spectant illa divini sponsa verba Cant. 8. 9. *Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea*. Verba satagentis Dei sunt de Genitricis suæ virtute contra omnes machinas, & artes munitæ, quæ nullum præbeat ad urbem, instar muri, ingressum. Respondet ipsa, murum se esse, qui vim hostilem repellat, qui Ecclesiam ambiat, & protegat. *Ego murus, & ubera mea quasi turris*.

Guillel.

Accipe acuti, docti, piique Guilielmi Perite, seu Parvi commentarium apud nostrum Del Rio. *Ego murus ad protegendum, murus inexpugnabilis circumcingens eos, qui ad me confugiunt. Planè qui hoc muro circumdatur, trahit est ab his, qui in circuitu ambulant impii; & à capite eorum, qui tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Astipulatur Hailgrinus Cardinalis ita præclare: *B. Virgo murus est nostræ defensionis, & super eam ædificavit tota Trinitas propugnacula argentea, ut precibus suis bene sonantibus inimicum repellat: & hoc significatur argento, quò ceteris metallis dulcius sonat*. Similiter Hugo Caranlis, & alii Virginis Panegyristæ.

1152 Secundò, Deipara virgo suâ quidem ineffabili sapientiâ profundum abyssi penetrat, omnes nempe Dæmonum machinationes eludit. Atque huc spectant ea, quæ à num. 134. diximus de Mariæ sapientiâ astutum serpentis caput conculcantis. Adde ex S. Bernardo in Ser. super Signum magnum, premente illud; *Apoc. 12. & luna sub pedibus ejus, ita opportunè: Insipientia verò omnis longè sub pedibus ejus est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, & collegio Virginum fatuarum. Imò verò & unicus ille stultus, & totius stultitia princeps, qui verè mutatus in luna sapientiam perdidit in decore suo, sub Maria pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam à Deo promissa mulier serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura, cujus planè calcaneum in multis versutis insidiatus est, sed sine causa: id est, frustraneo proflus consilio, irritò, & inani conatu: Virgo enim suâ mirabili sapientiâ versutias inimici, astutas artes, & machinamenta penetrat, & eludit. Caller igitur Deipara omnes inferni adversus Ecclesiam machinationes, & technas; & sigillatim omnia singulorum fidelium discrimina præoccupat, prævertit, & irrita facit. Atque eapropter, *multocula effecta* dicitur à S. Epiph. Ser. de laud. illius.*

1153 Tertio, in fluctibus maris ambulare dicitur, & in omni terra sterissè Dei Mater: nempe persecutionum procellas à Gentilissimo, & Judaismo in Catholicam Ecclesiam exortas, validissimè compefcere, & prohibere ne illam oblerent. Quò faciunt Zonaræ verba in Canone de sanctissima Virgine, ubi eam sic deprecatur: *Ne tam validi errorum fluctus Ecclesiam demergant, obice te, Virgo celsissima*. Consonat lunæ symbolum toties in sacris litteris, & à Patribus Virgini adaptatum: & ea nostri Alcazaris pulchra & erudita de luna mulierem fulciete existimatio Apoc. 12. Cum enim foemina illa Ecclesiæ primogenita transitum ad Gentes divino lumine illustrandas portendat; opportunè quidem ad illius pedes luna devolvitur, non abjectionis, sed fulcimenti causâ, Luna hæc in primario sensu humanam Christi naturam designat; in secundario sanctissimam ejus Genitricem Deiparam, tumentes maris fluctus compefcentem, hoc est, Neronis ac Tyrannorum persecutiones in eo flumine figuratas, quod Draco supra arenam maris stans ab ore evomit, ut mulierem absorberet, ac demergeret. Hoc ne fiat, quin imò ut furentes maris procellas, & tumentes persecutionum fluctus compefcantur, luna, id est, Maria, subter Ecclesiæ pedes constituitur pro basi. Ast cur potius luna, quàm reliqua astra, quibus luna est superior? Planè non sine arcano mysterio

Pl. 11. 9.

1. Petri 5. 8.

Hailgrin.

Maria omnes Dæmonum machinationes eludit.

S. Bernar.

Deiparâ compefcit & prohibet procellas adversus Ecclesiam.

Zonar.

Ed spectat luna, cui Ecclesia innisitur.

Apoc. 12. 3.

Luna domi-
naio in ma-
rio.

rio. Luna quippe ea praedita est natura, & facultate, ut mirabilem habeat, & exerceat in ipsum mare dominationem, ut Aristot. 2. Meteor. & problemate 23. Ptolemæus lib. 2. quadrip. c. 12. & Plinius lib. 2. cap. 97. docent. Quid accommodatius ad Deiparae favorem designandum, quo erumpentes persecutionum immani impetu fluctus repressi sunt, ne Ecclesiam submergerent, & obruerent?

Habac. 3.
10.

1154 Mirè consonant Habacuc 3. 10. ubi Christum commendans, Christiana ejus mysteria tractat literaliter: *Viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum transit. Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.* Arridet summpere ingeniosa admōdum nostri Alcazaris elucidatio, exitimantis describi in his verbis insanam Romanorum Imperatorum temeritatem contra Ecclesiam, quod cernerent adungi ad vexilla Christi complures. Unde per m ntes illos dolentes, montes accipit Romæ, & imperii illius principes frementes præ indignatione. Ea autem voce *altitudo*, quæ Hebraicè est *rom*, indicari à Propheeta Romam arbitratur: quæ potenti manu, & viribus immensis horrendam persecutionis procellam adversus Christianum nomen commovit. Quod verò gurges aquarum transierit repressas iras esse putat, erumpentes tandem, quasi quis rumpat eos aquarum obices, quos appellat *diques*. In abyssu vocibus agnoscit Gentium fremitus adversum Evangelium. Ferè similiter explicat noster Sanctus, nisi quòd expositionem hanc allegoricam esse contendit, cum sit Alcazari litteraria. Illud hic unum certum debet esse, dicta hæc cum intuitu ad olim facta admirabilia maris rubri, & Jordanis fluminis, in transitu filiorum Israel. Sed potissimum prædici, & describi Reges & Tyrannos totis viribus Ecclesiam oppugnant; quorum ipsa machinas, & persecutionum vehementiam vicit & elulit, indubitatum mihi est. Sed unde, quæso, gloriosus hic reportatus ab Ecclesia triumphus? Habacuc exprimit subiectis immediatè verbis: *Sol, & luna steterunt in habitaculo suo.* Certè in Sole Christum, in Luna intelligendam ejus Matrem Deiparam, nonnulli existimant, in quibus noster Alcazar, cujus accipe verba, cedro dignissima. *Perceptio cogitatione, divinitatem aptè designari Sole; Luna verò & humanitatem Christi, & ejus quoque Virgini Matrem. Diei ergo luminaria isthac divina, ut faverent Christianis, constituisse, planè representant favorem, & auxilium manifestum, quo suppetiati sunt Ecclesie; ad denique quòd absque tam eximia favoris celestis demonstratione omnino fuisset impossibile sumptam fuisse ab Ecclesia de suis hostibus gloriosam vindictam. Ecce qua ratione Deipara celestis benevolentia sua, & auxilii luce oppositas illas montium, atque aquarum moles, furentes, ac formidandos persecutionum fluctus vicerit, ut quæ in undas dominatum habeat instar lunæ.*

Infana Ro-
manorum
temperas
contra Ec-
clesiam.

On

S. Cyrill.

Triumphus
renovatus,
favente sole,
& luna; Iesu
& Maria.

S. Cyrill.

1155 **V** novus huic instituto concilietur splendor, præmittenda sunt S. Bernardi Senensis verba ex Ser. 1. de Mariae Nōmine a. 2. cap. 2. ubi cum statuisse (quod multi alii etiam sentiunt) *Mariae* appellatione stellam maris significari, id est, *polarè astrum*, poli describivum, & brevissimi circuli circa polum; ut rem illustret in Virginis commendationem, sic longiusculè fatur: *Totus mundus describitur quoddam intelligibilem sphaeram, cujus centrum est Filius Dei Jesus Christus, quoniam ipse est veluti centrum in circulo, à quo exeunt omnes lineæ, id est, universæ creaturæ, sicut ostendit B. Dionysius de Divinis Nōmi. c. 4. Sed hæc sphaera millos circulos habet intra se invicem ordinatos. Unde tantò circulus est brevior quò centro vicinior. Maximi verò circuli circa hoc centrum intelligibile ipsa corporalia sunt, sive caelestia, sive terrestria sunt: & complent omnia circum suum secundum majorem vel minorem distantiam, & participationem primi. Consequenter alium circulum complent vitam habentia intellectiva. Et inter hæc omnia brevissimum facit circulum B. Virgo Maria; quæ per mentis devotionem arctius eum contraxit, & intra beata viscera clausit, & portavit, ut ipsa sit jam facta quasi orbis. Hoc quidem de ea Ecclesiasticus cap. 24. in persona illius ait: *Gyrum cæli circui sola.* Ut cernis, Christum Deum & hominem centro persimilem esse ait; creaturas verò lineis à centro deductis; tum etiam circulis brevioribus & brevioribus, juxta majorem & majorem divinæ bonitatis participationem, & Deo approximationem. Unde sapienter concludit, inter reliquas creaturas, etiam Angelicas, brevissimum esse circulum Deiparam Virginem, intimum sanè & maximè coherentem; utpote quæ sacris suis visceribus Deum conclusit, & per ambitum Filio proximiorē cōcircuerit. Quod solius Magnæ Matris proprium est, & nulli alteri concessum: ut ipsa inquit, juxta Bernardini interpretationem, *Gyrum cæli circui sola.* Quid argutius?*

1156 Ex hac circuli centro suo proximioris metaphora, nempe ex unica & sola Matris Dei dignitate, & arcta cum Christo conjunctione, evincitur unius & solius Deiparae immunitas ab originali contagio. Quòd revocees Jeremiæ testimonium c. 31. 22. *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum.* De Virgine, atque incarnato in ejus visceribus Verbo sermonem litterarium esse sentiunt communiter Patres; & Juniores interpretēs uno ore conspirant; quorum nonnulli in prioribus verbis immaculatam Deiparae conceptionem agnoscunt. Et meritò quidē; nam præter illa, quæ ipsi observarunt, observatum à me habes supra num. 253. Hebraicè pro *creavit*, esse verbum *bara*, quod R. David in lib. Radicum putat ejusdem esse significationis, ac cognatum ejus *barar*, id est, *mundare, purificare.* Unde perinde est; *creavit Dominus novum*, atque *novam creavit, mundam, ac puram.* Vox enim illa *novum*, Hebraicè est *novam*; & refertur debet ad personam etiam novam, Filium videlicet, & Matrem, ut vult S. August. Serm. 9. de tempore tom. 10. Posteriora verba quasi rationem reddunt hujus novæ creationis: quia scilicet *femina circumdabit virum*: id est, B. Virgo Christum concipiet, mole sanè pusillum, at sapientiâ plenum, & consilio virum, seu Gigantem, ut habent Hebræa. *Circumdat Maria virum* (ait S. August. relatus) *Angelo fidem dando,*

Christus ve-
luti centrum
est, à quo
omnes crea-
turae, veluti
lineæ, &
circuli bre-
viores.

Deipara bre-
vissimum
facit circu-
lum, Chri-
stum con-
trahens, ei-
que proximi-
or perma-
ternitatem.

Ex unica,
& sola
Matris Dei
dignitate &
arcta conjun-
ctione evin-
citur Maria
immunitas.
Jer. 31. 22.

Nova crea-
tura Maria
munda, pu-
ra.

דבב

dando, quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo. Novam foemina novo modo conceptam opponit veteri Evæ: hæc serpenti consentit, non verò illa: imò quia Christum conceptura erat Angelo consentiens, stygio Draconi minimè consentium præbuit. Sed preme adhuc illud, *circumdabit*, Hebraicè *Sabab*, id est, *circuire, circumducere, vallare, gyrare*, quod mirè consonat nostri Siracidis verbis: ostenditque singularè Mariæ immunitatem, quod ipsa sola Deum & hominem intra uteri sui angustias conceptura erat, quasi intimus & maximè centro cōhærens circulus. Bellissima sunt Amadei Laufaniensis verba Hom. 2. de Concept. Virginis. *Novum faciet Dominus super terram: femina circumdabit virum.* Circumdans virum novum circumdata est à viro novo: circumdans & generans, circumdata & regenerata: generans in forma humanitatis, regenerata in forma novitatis. Quid pro re nostra luculentius?

Amadeus.

Servus ma-
num in
orbem ver-
tebatur.

Horatius.
Persius.

Seca. ne
Obloperus.
Appianus.
Arrianus.
Claudic.
Cujacius.
Brissonius.
Ravardus.
Cornutus.

Et alapa
percuteba-
tur.
P. Cerda.

Adamus, &
posteri ejus
in miseram
detruis ser-
vilitatem per
peccatum.

Joan. 8. 34.

Servus sit
Christus, ut
nos à servi-
tute libera-
ret.
Bernar.

1157 Cæterum, ut nova insuper præfatis Jeremiæ verbis lux affluat, observare licet Romanum ritum, quo manumissi, manu capiti imposita, in orbem vertebantur, ut significaretur, liberos jam esse & non servos; & huc illucque ire posse, quò vellent. Horatius: *quibus una Quiritem vertigo facit.* Et Persius: *verterit huic Dominus, momento temporis exit Marcus Dama.* Meminere hujus moris Seneca Epist. 8. & ibi Lipsius, Muretus, & Opsopæus. De hoc Appianus lib. 4. belli civ. Arrianus in Epist. lib. 2. cap. 1. Claudianus lib. de 4. consul. Honorii, Cujacius lib. 5. observat. cap. 15. Brissonius lib. 1. cap. 11. fel. antiq. Ravardus cap. 7. lib. de aut. prudent. & Cornutus in illud Persii. Hi verò qui circumacti, liberi confirmabantur, vulgò appellati *cabelleros de una vincta.* Et quidem circumagi solitos *alapa percussos*, observant iidem Auctores, & noster Cerda in Adversariis Sacris cap. 143. num. 3. fol. 341. Ad quem ritum alluisse videtur Oseas cap. 11. 4. ubi de jugo servitutis Judæis ablato: *Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum.* LXX. vertunt: *Ero illis quasi dans alapas homo super maxillas ejus.* Deinde observo; conditum Adamum in justitia, & sanctitate tanquam totius orbis Monarcham, in miseram detrusum fuisse servitutem per inobedientiæ peccatum. Unde factus ipse est, & mortales omnes, Sathanæ mancipia, in quæ inimicus diuissimè sævit. Joan. 8. 34. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Ut nos Christus ab hac dira servitute liberaret, sæpè sæpius dicitur in sacris literis, mittendus. Neque aliter ipse immunes ab hac servitute reddidit, nisi formam servi accipiens, ut loquitur Paulus ad Philip. 2. 7. Ad quæ verba Bernardus in allegorijs Gotfridi Tilmanni: *Non solum formam servi accepit, ut subisset, sed etiam mali servi, ut vapularet, & servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet.* Itaque servus extitit non rigidè, sed appellatione tenuis, quia formam servi induit, propter homines redimendos, quorum ipse ultrò delicta tulit.

1158 His positis, venio ad novam Jeremiæ interpretationem. *Creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit, vel circumducet virum.* Ac si apertius dicat: *Novam creavit Dominus foemina, Mariam nempe, immunen prorsus à dira peccati servitute.* Quia ipsa utpote omnino, omnique tempore ingenua & libera, Christum circumdabit, & circumducat formam servi habentem; ut sic in

Maria im-
munis à pec-
cati servitu-
te, quòd;
Christum
circumdat
sic in orbem
vertat na-
turam hu-
manam.

orbem vertat naturam humanam, & mortales omnes, atque ex mancipiis ingenuos reddat ac liberos, manumittatque. Propterea subtextit Vates: *Adhuc dicent verbum istud in terra Juda, & in urbibus ejus: cum convertero captivitatem eorum.* Ubi Lyra de servitute peccati ad gratia libertatem. Hinc Patrum locutiones pro Mariæ immunitate à culpa originaria. *Juvenca* appellatur à S. Epiphani. Orat. de Virgin. *nunquam jugum servitutis experta.* Et missis aliis, maximè ad institutum nostrum Albertus Magnus in Tract. de Laud. Virginis: *Liberrima fuit; ipsa enim est, per quam omnis creatura à servitute corruptionis libera est in libertatem filiorum Dei.* Nec solum ingenua fuit & libera ob hanc activam libertatem hominibus donata; sed ob illam præfertim, quæ à Christo Virgini donata est; ut ait idem Albertus: *Fuit etiam Virgo liberrima in efficientia passiva; servis enim dicitur: Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis. Si ergo servus, qui est servus filii, liberatur, multo fortius mater, quia est mater filii, liberrima fuit.* Hinc illud Chrysologi pronuntiatum ea Angelicæ salutationis verba prementis Luc. 1. 31. *Ne timeas Maria, id est, Domina. Vocat (ait ille Ser. 142.) Angelus Dominam, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetravit auctoritas.* Quia nimirum Deum hominem conceptura erat, ipsa concepta est libera omnino à peccati servitute, atque adeò Domina: quæ suâ hæc ingenuitate posset Christum circumdare, seu circumducere; & sic humanam naturam in orbem vertere, atque in libertatem filiorum Dei asserere.

1159 Quia verò solius Deiparae fuit, Christum sic circumdare: *gyrum cæli circui sola*; sola subinde ipsa, inter reliquos Adæ filios, immunitis extitit à communi peccati servitute. Accipe, & expende Patrum testimonia. Dionysius Alexand. in Epist. ad versus Paulum Samosatenum. *Una autem & sola Virgo filia vitæ genuit Verbum vivens, increatum, & creatorem.* Quasi dicat: Cæteri omnes naturâ ipsâ sumus filii iræ, & mortis; sola Virgo, quia Dei genitrix futura, filia vitæ est, quia in gratiâ condita. Andreas Cretensis in Orat. 2. de Virginis dormitione: *Sola præter naturam (id est, præter omnes ipsius naturæ leges) fuit electa ad naturam renovandam; sola servit opifici universæ naturæ.* S. Maximus in Hom. de Dominica in Ramis: *Ipse Salvator de sola, & pura Maria procreatur.* Et Theophanes Græcus in Hymno de Annuntiat. S. Deiparae. *Tibi gratia est data, & Dei genitrix divina: tu enim sola Mater Filii præelecta es immaculata.* Et Origenes Hom. 1. in Matthæi c. 1. *Hujus itaque unigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti & immaculati, una unius, unica unici.* Huc spectant illa Cantorum verba cap. 6. 7. *Sexaginta sum Regina, & c. Una est columba mea, perfecta mea; una est matris suæ, electa genitricis suæ.* Suprà expendi, & noviter illustravi n. 625. Hic addiderim Pfelli interpretationem. *Iner tot animas (ait ille) omnium hominum, qui salvantur, ut electa columba est una illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella, Maria, quæ puritate perfecta Cherubim, & Seraphim antecellit.* Omnes, ut vides, ex unica Matris Dei dignitate probant unicam Deiparae immunitatem ab originali delicto.

S. Epiph.

Albert.
Mag.

Luc. 1. 31.
S. Chrysol.

Unica &
sola Deipara
immunitis.

Diony. A-
lexand.

Cretens.

S. Maxim.

Theopha.
Orige.

Cant. 6. 7.

Pfelli

Moralis